

1. Pell
2. Six
3. Sin
4. Spo
5. S4
6. De
7. S
8. S
9. S
10. S
11. S
12. S
13. S
14. S
15. S
16. S
17. S

1. Hibbing: Demilite sano conservando. 1280.
2. Simon: De modo bene narrandi et bene moriendo. 1729.
3. Singer: De perennione belis. 1728.
4. Spari: Carus ^{Proo}Hydrocelos. 1761
5. Staedel: Gonorrhoea virulenta. 1695.
6. de Staude: De venae sectione in gravidar. 1749.
7. Steck: De raga. 1757.
8. Stegmann: De ophthalmia. 1619.
9. Stein: De tussi stomachali humidae.
10. Steinmann: De cauris cura frequentius vix praeferventibus calculorum giam. 1771.
11. Stiegler: De oxyconanrice hernia soroti. 1681.
12. Stoer: De emanatione menstruali. 1664.
13. Stoer: De febribus in genere. 1692.
14. Storch: Reconitur experientia comprobatur. 1722.
15. Strohlein: Relaxatione vaginae, prolapso & invresione uteri. 1749.
16. Stuarts: De recandidis salutifragaceis noxiis. 1736.
17. Sulzer: Historia morborum eorumq; Helvetiorum Endemiorum. 1780.

1-17

SPECIMEN INAUGURALE
DE
M I L I T E
S A N O C O N S E R V A N D O ,

QUOD
GRATIOSÆ
FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU
PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORIS
RITE CAPESSENDI


DIE XXV. NOVEMBRIS A. R. S. MDCCCLXXX.
SOLEMNI ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT
MAXIMILIANUS JOSEPHUS SILBERLING,
LAUTERBURGENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI , Typis FRANC. LEVRAULT , Episcop. Universit. Typogr.

SPICIMEN INQUISITIONE
DE
MILLITI
SANO CONSERVANDO.
GRATIOSA
ACUATATIS MEDICINA
CONSERVANTIA
THERAPIE
KÖEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.
Shaffberg Dns.

urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-346847931-17



PROÆMIUM.

AN in exercitū Imperatore ingenium, an verò in gregario milite robur corporisque vires ad bellum strenuè gerendum plus conferant, & victoriæ majorem partem sibi decerpant, inter eruditos problema est. Quod autem in gregario milite sanitas & vires tot ferendis oneribus pares ad res bellicas strenuè feliciterque gerendas requirantur, certum est indubitatumque.

Ut autem miles robore & viribus polleat, quamplurima requiruntur: non eo enim momento, quo castra sētari quis constituit, seque signis militaribus subdidit, mox verus formatusque miles est, sed militiæ tyro,

A 2

cui multa consuetudine , multa exercitatione acquirenda sunt, donec par vero militi censeri atque formatus electusque haberri queat.

Quemadmodum verò multum temporis curæque requiritur , ut in omnibus corporis artisque militaris exercitiis habitum miles acquirat : sic etiam plurimum solicitudinis in eo collocandum est , ut jam exercitatus prosper sanusque conservetur. Eò sanè summi Imperantis omnis attentio curaque vergat , eò Medici castrensis labor consiliumque tendat , ut , quæ armorum , investimenti , victusque ratio militi tuendæ sanitatis gratiâ magis conveniat , quæ proficia , quæ adversa sit , aut in ejus detrimentum facile verti queat , indicet atque doceat.

Ut ad scopum hunc non humanitati tantum gloriosum , sed dilectæ patriæ pariter utilissimum , & ego aliquid pro mea tenuitate conferam , præsentem *De Milite sano*

5

conservando Dissertationem h̄isto, in cuius
SECTIONE I. armorum, investimenti, vic-
tūsque diversas species modosque, in SECT.
II. eorundem detrimenta; & in SECT. III.
detrimentis opposita consilia paucis, &
quantūm tyronis conatus levisque expe-
rientia permittunt, exponam. Ut hos ty-
ronis conatus Lector benevolus æqui boni-
que consulat, iis, quæ quemvis decent,
formulis rogo.

S E C T I O I.

*Succinctum armorum, investimenti, victusque
militaris Syntagma.*

C A P U T P R I M U M.

De Armis.

S. I.

BELLA mundo coæva sunt. In prima jam
generis humani infantia homines securitatis pro-
priæque conservationis gratiâ antra speluncasque
habitasse, quo potuerint meliori modo, sua latibula
munivisse, belluisque bellum inferre coactos fuisse,

qualis adhucdum plurimorum barbarorum dura necessitas & consuetudo est, nemo negaverit.

Verum armis contra belluarum furorem primum inventis in sibi similia viscera sœvire infani mortales cœperunt: depravati sensim mores, auri dira fames, & ambitio bella frequentiora fecerunt, & necandi ferociam in artem transformarunt. De NEMRODE jam legitur: *Cœpit esse potens in terra;* & in pluribus sacrarum literarum locis, in quibus de militia militibusque antiquorum temporum agitur (a), hujus asserti fundamenta occurunt.

§. I I.

DUM ab initio pro aris & focis bella gerebantur, quilibet, cui ætas corporisque vigor arma gestare concedebant, miles censebatur; militum vero tunc distinctio in armorum discriminé potius, quam in investimenti differentia, quærenda fuerat. Arma autem nunc leviora, nunc ponderosiora, habitâ ad corporis vigorē ratione, eligebantur: hinc alii plus minus gravioribus galeis ferreis metallicisque, alii cudone simplici caput tuebantur (b); alii fundis sagittisque leviter armati sagittarii & funditores nun-

(a) Genef. Cap. 10. v. 8. Cap. 26. v. 26. Cap. 37. v. 36. Lib. 4.
Reg. Cap. 10. v. 25.

(b) SILIUS ITALICUS VIII. 494. sic scribit: *Caput cudone ferino
fat cautum.*

cupabantur (a). Hos inter etiam *pyrobolarii* glandes
plumbeas jaētantes ab initio, successu temporis inter
clypeatos locum tenuēre. Alii pro ratione virium
gravioribus armis & tam ad aggressionem hostium,
quam sui defensionem propriis onusti, eminus hasta,
cominus gladio (b) pugnabant. Sic ab hasta miles
Hastarius, sic *Scutator* vel *Scutarius* à scutis ; à cly-
peis verò *Clypeatus* appellabatur ; & quando (c)
clypeata rotis agmina densebantur campis, suam ad
summum apicem gloriam evestam summi Imperan-
tes credebant.

§. III.

HISCE militum distinctionibus Romani, gens bel-
licosa & orbis ferè universi domina, alias addidere.
Hi habitâ ætatis viriumque corporis ratione milites
in quatuor classes segregarunt. Prima continebat
Velites juniores minùsque robustos, secunda *Hasta-*
rios ætate proiectiores, tertia *Principes* fortissimos
& robustissimos, quarta tandem *Triarios* veteranos
milites, rei militari laboribusque assuetos. Hi tertio
in ordine post aciem constituebantur, ut duobus
primis anterioribus minùs prosperè pugnantibus sic-

(a) In FABRI Thesauro Erud. verbo : *Funditor* ubi hæc occurunt;
Hostem sagittariis & funditoribus eminus terrere.

(b) CICER. de Senect. Cap. 6.

(c) VIRGIL. Æneid. L. 7. 793.

currenter , aut destructis fortè illis aciem restaurarent ; unde notum apud Romanos proverbium : *Rem ad Triarios venisse.* Quælibet classis autem diverso armorum apparatu pugnabat , distincto in præliis officio fungebatur.

§. I V.

VELITES gladio , telo , piloque missilibus & scuto rotundo magis , triumque circiter pedum diametri , muniti fuere. Scuta hæcce tuendo corpori ob eorum magnitudinem , armaque tunc temporis usitata , apta fuisse , quislibet facile perspexerit. Velitum autem præfetos à gregariis militibus capitis ornamento distinguere consueverunt. *Hastarii* majore apparatu bellico ornati , convexiore scuto , quatuor pedibus longo , duobus , semique pede lato instructi , gladio longiore ad cæsim punctumque ferendum à latere succincti , pilis duabus & galeâ æneâ , pennis rubris nigrisque ad ulnæ longitudinem comptâ , onusti erant , ut his & vultu martiali majorem inimicis formidinem incuterent. *Principes* & *Triarii* non secus ac *Hastarii* armati , pilorum ferreorum autem loco sarissis longioribus & contis utebantur ; armis quoque ad suâ defensionem propriis , scuto videlicet coriaceo leviori , quod figurâ & magnitudine pani similagineo , quem votivum in sacrificiis Diis libabant , vix absimile fuerat , muniti satisque tuti erant.

CURRUS falcatos, Phalaricam, quâ ex Falis teli quoddam genus ex ferro plumbo & materiis ignitis compositum jaciebatur, & arma ulteriora majora, enormes machinas, quibus muri ingentibus inde emissis saxis quatiebantur, brevitatis gratiâ taceo, Arietem scilicet, Tormenta, Catapultam, & Balistam, instrumentorum bellicorum prodigia! quorum aliis tela & grandiores sagittæ, aliis lapides ingentes & saxa in hostes torquebantur, donec fulgura tonitruaque velut à Jovis manibus erupta atrox humanum genus in socios fæviens jaçtare incepert. Invenit sane ingeniosa nocendi cupid ostro tempore non tantum multiformes gladios, trisulcataque semifispathia, & tormenta varia, fistulas æneas, ferreas, sclopeta vel breviora vel longiora, ignivoma dolia, pyroboulos varios enormes & ejusmodi generis instrumenta mortifera, quorum effectus tristissimos in militem redundantes inferius dilucidabimus.

C A P U T I I.

De Investimento.

§. I.

AB initio, quo quisquis modo vestitus erat, eo etiam bellum ingrediebatur. Quam plurimi nudi, velut calidarum regionum incolæ, Africæ,

B

Americæque pars major, minor Asiæ, minima Europæ, confluxere. Sensim modestiæ major ratio habita est, tegique bellantium corpora cœperunt. Necesitatem quoque multum ad mutationem hanc fecisse, certum est, quando bellum sub frigidore cœlo sæpius gerebatur. Difficillimum autem est determinare, quo ordine militum investimenta progressum cœperint, donec ad monomorphosin vestitus, seu habitum uniformem hodiernum, (*Galli uniforme appellant*) per venerint; nam singulis fere bellis, modo hoc, modo aliud vestium genus adoptabatur; mox hanc, mox illam gentem imitavere bellatores, & sicut adoptata crebro arma abjecere, sic in infinitum quoque Indumentorum genera mutaverunt.

§. I I.

ILLUD certum est, diu nudatos fuisse pedites (a). Equites quoque diu braccis destituti erant, ut eò expeditius equos concenderent, eò celerius ex equo desilirent. Polybiï tempore A. U. C. 570. adhucdum ferè nudi erant (b), Braccam barbarum tegmen credentes (c), quo hyemis tempore muniebantur hinc inde; tempore veris æstatisque eo carentes. Getis, Sarmatis, Germanis, Gallis, Persis & Scythis frigidiorum regionum incolis familiare hoc vestimenti

(a) KEISEWETT. Syntagm. p. 39.

(b) FOLLARD. Polyb. L. VI. Cap. IV. T. VI.

(c) TACIT. Hist. H. 20.

genus erat, quod demum (a) sub AUGUSTO
Romæ in usum deductum fuit.

§. III.

SICUT finis scopusque ob quem militibus vestimenta data fuere, admodum diversus erat, sic etiam variae Investimenti species sensim introductæ sunt; saepe ad loci consuetudinem opportunitatemque respiciebatur: sic Parthi leonum pellibus amicti & aspectu & armorum strepitu hostibus terrori fuisse; saepe conservandi defendendique contra frigoris vehementiam & hostium assultus corporis ratio in eligendo vestitu habebatur: sic *Hastarii* pectoralem laminam ex corio confectam uno pede latam à collo ad umbilicum descendantem (quod Latini *pectorale*, Galli *garde cœur* vocant) gestarunt (b). Pectorale hoc variis coloribus ornatum ditiones distinxit. Ab hoc tegumento ad scutum, à scuto ad clypeum, ad vestes, manicas, togas, sagas, braccas, caligas, ocreasque sensim progressum est, donec cataphracta onustus, munitus potius, quam agilis miles apparuit.

§. IV.

ITA ferè ab urbe conditâ ad Divi GRATIANI usque tempora (c) romanus miles indutus erat. Cef-

(a) OVID. L. V. Trist. 10. 34. *Perseae Braccae* meminit.

(b) FOLLARD. l. c.

(c) KEISEW. l. c.

sante postmodum campestri exercitatione , interveniente negligentia dissidiaque incipiebant haec arma romano militi nimis onerosa videri , & hinc primo cataphractas , deinde cassides deponendi licentiam ab Imperatoribus postulabat . Verum detectis peccatis , capitibusque cum in acie ad vulnera magis exponeretur , de fuga potius , quam de pugna cogitabat ; quod effecit , ut galeae cataphractaeque ipsi restituerentur . Sic lege C. Gracchi militibus sine stipendiis diminutione vestes , togæ sagaque cum paludamentis ex ærario publico donata fuere . Neque negaverim , bellii Imperatores in assignandis militi vestibus stratagemate saepe usos fuisse . Numidas aliosque populos in proeliis punicae veste induitos fuisse novimus , ut tegumento illo vulnera sanguinemque effusum celante magis confidenter & sine pavore dimicarent (a) . Lacedæmonii punicei coloris tunicis utebantur , ne vulnerati ac hostibus ob coloris similitudinem ab hoste viderentur (b) . Artaxerxes Persarum Rex ducturus contra Cyrum fratrem exercitum rubro milites sagulo cinxit , Cyrus autem albo , in qua vestiendi ratione aliqua monomorphosis vestitus vestigia deprehendere licet .

§. V.

GENTIUM itaque diversa consuetudo , occasiones

(a) AELIAN. L. 6. C. 6.

(b) Aristophano interprete Aelian. L. 6.

variæ , scopique diversi multum discriminis miram-
que varietatem in Investimenti formas ab omni ævo
invexerunt , donec LUDOVICUS MAGNUS potentissi-
mus Galliarum Rex novam vestitū & simul totius
artis militaris formam constituit (a) , quam cuncti
in Europâ imperantes unanimi consensu imitati sunt.
Nova ab eo tempore rei militaris facies apparuit :
nunc miles pyrio pulvere , sclopeto , globulis plum-
beis , martiobarbulis , gladio & semispathio trisul-
cato munitus ingreditur . Vestitus uno colore unâve
formâ legiones integras nunc confpicimus . In mo-
derno autem vestitu militari Medico examinanda ve-
niunt pileus , indusium , collare , toga , vestis , palu-
damentum , braccæ , tibilia , periscelides , calcei &
ocreæ , in quibus , quænam ad procurandam con-
servandamque militis hodieni sanitatem regulæ me-
dicæ observandæ sint , in decursu ostendam.

C A P U T I I I .

De Virtu.

§. I.

IN Statibus democraticis nemo non miles fuerat .
In aristocraticis ac monarchicis ex plebe milites
gregarii conscribebantur , aut quos voluere summi
Imperantes , ad arma conciebant . Olim milites &

(a) Dictionnaire Encycloped. voce : *uniforme*.

præfertim romani suis sumptibus militabant, seque-
metipsos sustentabant, distributis inter bene meritos
præmiis & reportatis de hoste spoliis contenti, do-
nec anno ab Urbe conditâ 347. romani stipendia
suis militibus largiri inceperint (*a*).

§. I I.

Quo tunc viatu quisque affuetus erat, eo uteba-
tur miles; finitimæ Europæ maritimæque gentes,
Lapones, Massagetae, Alani, Sarmatæ, plerique bar-
barorum, carnibus, feris, piscibus aut desiccatis,
aut fumo saleque conditis & ejusmodi generis di-
versis alimentis vescebantur; & plerumque ita car-
nivoros illos fuisse constat, ut antropophagi censem-
tentur (*b*).

§. I I I.

PASTORES, Agricolæ, Alpinæque gentes duris-
simæ lacte, caseo, castaneis, aliisque plantis vixere
olim, uti adhucdum vivunt; Germanosque veter-
es & Britanos iisdem alimentis usus fuisse constat (*c*).
Romanos autem pultiphagos alimentisque vegetabi-
libus nutritos fuisse vel solus HORATIUS indicat (*d*).
Ex plebe conscripti milites plebejo more alebantur

(*a*) KEISEW. Syntagm. p. 711.

(*b*) CELLAR. Geograph. antiqu. T. 1. p. 405.

(*c*) CÆSAR. Bell. Gall. L. 5.

(*d*) Art. Poëtic. sic habet: *Fridi ciceris & nucis emptor.*

(a), cibo maxime communi valissimoque contenti
 (b). Hinc panis furfureus, panis fermentatus, non
 fermentatus, acerosus, buccellatus, nauticus, subci-
 nericēus militibus præprimis usui fuit; nam panis
 filigineus plebejo pani oppositus, & non nisi ditioni-
 bus proprius erat (c). Aliqando etiam panico sive
 pane castrensi ex radice confecto alebantur (d).

§. IV.

Et hic quidem vietus à Principe bellum gerente
 suis militibus suppeditabatur. In expeditionem eun-
 tibus sufficiente frumento annonāque prospicieba-
 tur; postquam verò mos invaluit, milites stipen-
 diarios habere eum in finem, ut non tantūm patriæ
 defensioni, hostibusque terrori essent, sed etiam
 cives seditiosos compescerent, & sic Reipublicæ
 tranquillitatem conservarent, tunc etiam stipendio
 militari alimenta regulata sive stipendiata adjuncta
 fuere.

§. V.

Sic hodie in Monarchia gallica cuilibet militi &
 pacis & belli tempore præter pecuniam ex ærario
 regio solvi solitam quolibet die libra 1½ panis castren-

(a) Schol. Salernitan. §. LI. ita docet: *Caseus & panis sunt opti-
 ma ferula sanis.*

(b) HORAT. Sat. 2. *Cum sale panis latrante stomachum bene leniet.*

(c) SENECA. Epist. 119.

(d) KEISEWETT. *Syntagm.* p. 553.

sis furfuribus commixti & fermentati distribuitur; belli autem tempore & iter facienti militi gregario loco panis castrensis ob furfures non nihil acerofl lihra $1\frac{1}{2}$ panis filiginei minùs elēti; libra una carnis bubulæ, vini autem 2 libræ; seu vini loco cerevisiæ, aut hydromelis, aut hypomelidis aut piratici (gallicè *Cidre*) libræ quatuor sub vulgato nomine *L'étape* porriguntur; his præterea crebro aliqua portio acetii ultro additur (a). Quid verò commodi ex hoc militum alimento aut incommodi nasci possit, quid circa hoc punctum Medico suadendum observandumque sit, mox Sectione sequenti expositurus sum.

S E C T I O I I.

*De detrimentis militibus ex armis, vestitu
& vic̄tu oriri solitis.*

C A P U T P R I M U M

Detrimenta ex armis.

§. I.

DETRIMENTA ex veterum armis militi causata enumerare pluribus supervacaneum ea ex ratione credo, quod ferè omnia antiquorum arma abolita, nōaque illis substituta esse sciamus. Unum

(a) *Ordonnance du Roy du 23 Juillet 1727. art. II.*

tamen à speculatione medica non alienum fore is sentiet, qui expenderit, veterum prælia pugnantiumque conflictus armis quidem minus atrocibus gestos, modernorum tamen pugnas in eo plurimùm superasse, quod vulneribus truculentiores fuerint. Varianâ clade tres legiones integras cum Ducibus Legatisque & omnibus auxiliis cæsas novimus, quas AUGUSTUS frustra reclamabat noto illo : *Quināli vare redde legiones ! (a)*

§. I I.

COMINUS, eminus, punctum cæsimque gladiis, hastis, lanceis, sagittis pugnabant antiqui : hinc saucii quamplurimi ex conflictu egrediebantur; cribram quasi per vulnera cutem & pectus cicatricibus hians gloriabantur veterani, nam postica vulnera fugæ & infamiæ signa præ se tulere. Sic inter se vulnera jaetabant ! Quamvis autem antiquorum armis vulnera infligerentur plurima, pauciores tamen vulneribus occubuerent : vulnera etenim erant simplicia, curatuque faciliora modernis, si illa, quæ sagittis armisque aliis veneno infectis dabantur, exceptis, quæ tamen barbaries jam dudum communis genium moratarum consensu ex acie campisque proscripta est. Galli præprimis, quibus sagittariorum permagnus olim numerus erat (b); semper

(a) SUETON. *Trang. in vita Augusti* a. u. 769.

(b) CÆSAR, I. c. L. 7. Cap. 31.

gentium veneno in hostes grassantium crudelitatem abhorrebant, robore ac dexteritate, non assassinorum more veneno, hostes debellare affueti. Neque vulnera & contusiones, quibus veteres à machinis majoribus bellicis obnoxii erant, modernis ossium attritus comparari possunt; nam lapidibus enormibus aut quamprimum obtriti fuerunt, aut contusiones leviores erant facili labore curandæ.

§. III.

ALIA est vulnerum, quæ hodiernis bellantium armis infliguntur, natura. Nostro ævo maximâ ex parte è longinquo pugnatur. Tormentis militaribus, fulminibusque vibratis hostes à limitibus urbis aut regni arcentur; anceps pugna machinis majoribus ignivomis plerumque deciditur, victoria reportatur. Interim tamen nec militaris disciplina nec militum vires aspernandæ, ac si res militaris omnis in tormentis bellicis consisteret. Absit adhuc hodie è castris & acie enervis & succotilus miles, armisque portandis impar. Sclopetum armaturamque modernam portare, illâ diverso, agili, celeri & regulari simul more uti, & per longius temporis spatiū uti, vires requirit exercitatione plurimâ, antiquorum more, acquirendas, aptisque mediis conservandas.

§. IV.

SED ab ipsis hisce armis majoribus minoribusque quanta detimenta militi timenda! quanta disciplina,

quanta attentione opus est ab iisdem sibi præcavere! Hic tormentum bellicum farcit : inattentus socius per scutulam vel parumper aëris admittit , & eodem instanti accenditur pulvis pyrius , displosione mortiferâ fartoris manus , brachia abripiuntur. Illi sclopetum oneranti catulo ex improviso è manibus labeante , pollex , digiti , manusque auferuntur. Hic in conflitu terrore aut tumultu perturbatâ mente , duabus tribusve farturis sclopetum onerat , aut virgam stipatoriam ex fistula onerata extrahere obliviscitur ; pyrobolarius globulum tardius nimis ejaculat , ferrea fistula , pyроболus ex improviso dissiliunt , & fiunt , quæ hostis ruinæ destinata erant , arma sibi , sociis & amicis displosione funesta. Hæc profecto pericula militi ab hodiernis armis imminere tristis sæpe experientia docuit.

§. V.

SED si hodienum forte cominus pugnatur , quis pyroboliis Gallicis audacior , quis generosior ? Quis gallo militi sclopeto semispathio - trisulcate munito pugnanti resistit ? Cædes cumulantur cædis , aut vulnera his armis infliguntur curatu difficiora ; triangulare enim vulnus difficilioris curæ est , quam vulnus simplex summe dehiscentibus vulneris tabellis. Eodem modo multo majoris negotii est , complicata vulnera pyrotechnica , aut sclopetorum curare : in his etenim fragmenta impæcta metallorum , lapidum , ligni , vitri , globi , tormentorum

C 2

torum, investimenti, trombi cruenti, caro mortua, contusa, combusta, ossa fracta, quæ totidem promptæ certæque sanationis obstacula sunt. Hinc (a) eschara primo tollenda, antequam simplicis vulneris cura institui queat. Atque ex hoc apparet, quantum militum recentiorum vulnera ab antiquorum vulneribus differant; ex quo jure inferas, Machaones Gallicos iis, qui vulnera militum curarunt olim, palmam jure indubio eripere, quippe qui complicatissima, curatunque difficultima modernorum militum vulnera mirâ facilitate sanant, suos patriæ defensores conservant, de morte ipsâ triumphant.

CAPUT SECUNDUM

De investimenti detrimenis.

§. I.

DETRIMENTA, quæ exterarum gentium militibus diverso à nostris vestitu utentibus ex investimento imminere possent, describere à scopo meo alienum puto. Gallico militi, qui multis gentibus exemplo & imitationi inservit, quænam detrimenta ex vestitu oriri possint, enucleare, mihi propositum est. Ut ordine procedam, militem à capite, quod ajunt, ad calcem perlustremus. A pileo oriāmur. Est is antiquissimum capitū integu-

(a) VAN SWIETEN. *Comment.* T. 1. p. 303.

mentum, quo CASTOR & POLLUX jam usi fuisse creduntur (*a*). NERONE necato Romanos quamplurimos pileum in libertatis signum gestasse certius est (*b*). Is certò galeis præferendus est, quæ caput onerant magis, & ob radios, quos imbibunt, solares calore nimio capiti nocent. Ut autem miles à pileo nihil detrimenti patiatur, sit ille magnus, densus, at levis: nam nisi convenientem magnitudinem atque densitatem habeat, nec à radiis solariibus, nec à pluvia militem securum reddit; si gravior est, eadem incommoda pondere causabit, quæ mox de galeis exposuimus.

§. I I.

COLLARE sit latum, molle, ne collum eo constringatur: nihil enim sanitati perniciösius est, quam collare durum, firmum, constrictum: inde circulatio sanguinis impeditur, glandulæ salivales colli; facieique infarciuntur, obſtruuntur, & ex his tumores varii, strumæ (*gallis les écruelles*) aliisque morbi plurimi originem ducunt. Ut hyemis præsertim tempore, militibus collare latius & retinendo calor aptius daretur, optandum foret. Sic morbis plurimis ex frigore colli glandularumque humiditate stagnante oriri solitis aditus præcluderetur.

(*a*) VOSSIUS *ad Catull.* p. 19.

(*b*) DIONYS. HALICARNASS. *Antiq. Roman.* Lib. 63.

§. III.

IUDUSIUM sit lineum ; at firmum , non quidem carbaseum , nec tamen etiam nimis rude ; asperius nihilominus carbaseo præferendum est : illud enim fricando cutem poros adertos conservat , queis obstructis mille morbi ortum debent . Indusia præterea teneant milites semper benè lota , & ad minimum qualibet septimanā mutent ; alias infinitis incommodis ac diversis morbis cutaneis pedicularibusque ansam præbent . Linteamina etenim immunda sudoreque largiore diu infarta infinitorum insectorum ovulis fovendis nidi sunt ; ab immunditie profecto detimenta militibus plurima nascuntur .


§. I V.

BRACCÆ ne detrimentum militibus inferant , sint firmæ , amplæ ; coriaceæ profecto optimæ sunt . *Tibialia* sint æstate cannabina , hyeme lana , sicut & supertibialia ; caveat porro miles , ne braccas , & tibialia fasciis cruralibus duris (periscelides vocant) infra genua nimium constringat ; circulationi sanguinis enim id impedimento , pedibus ædematosis variisque tumoribus occasio est ; constrictio ejusmodi improvida & affectionem quandam scorbutico putridam secundum hygienem militarem Parisiis 1778 editam inducit . *Calcei* sint sufficienter largi ex corio rite subacto , soleis ficcis & inter duas soleas pice liquida munitis constent , quod de ocreis equi-

tum notandum quoque est. Sic miles pede sicco ad laborem & peregrinandum habilis, & à pedum tumorē, adiustione, clavisque pedum tam onerosis tutus erit.

§. V.

TO G A præterea atque vestes amplæ satis & spatiōsæ esse debent, ut miles quoad sanguinis circulationem corporisque agilitatem detrimenti nihil patiatur. Amplioribus enim togis æstate à calore minus vexatur, hyeme contra frigus certius defenditur. Toga illa commendari meretur, cujus partes superiores versus pectus *replicabiles* sunt (gallice *Revers*) quæ hyemali tempore pectorale formant & enascentes è nimia pectoris & pulmonum refrigeratione morbos feliciter prævertere solent. *Paludamentum* sive *chlamys* pariter saeviente hyeme militibus contra ventorum aërisque pluvii injurias nusquam denegandum videtur, quin adeo desiderarem, ut hyemali tempore cum aliis vestibus etiam *fascia pectoralis*, seu *pectorale* ex lana confeatum non nihil densius sub camisia gestandum ex ærario militari suppeditaretur. His neglegētis mirum non est, si miles omnibus aëris vicissitudinibus expositus, infinitis morbis obnoxius sit, uti Sectione III. id adhuc manifestabitur.



CAPUT TERTIUM.

De detrimentis ex victu.

§. I.

VETERES, atque Romanos præcipue, pulchriphagos & aquæ potatores modernis, varietate victus & potus non raro abutentibus, robustiores ut plurimum fuisse, cuilibet historiæ gnaro constat; ex eo tamen inferre cum fundamento non licet, hominios, quibus utimur, cibos per se perniciosos & non tam firmando quam destruendo corpori aptos esse. Vires utique & modernus victus auger, si debitos inter limites consistat; abusus tantum malorum morborumque causa est.

§. I I.

ILLUD præterea certum est, quod, si quis sanus esse velit, is se certis victus regulis & uniformi vendi modo nimiâ anxietate adstringere non debeat. Oportet hominem sanitatis conservandæ studiosum varium habere victus genus, modo plus justo, modo minus assumere (a) unde forsan notum illud proverbium originem hausit: oportere aliquando perturbari rem publicam. Nimia certe ciborum potusque uniformitas sanitati præprimis noxia est. Ast huic ex victu detimento homines ex plebe nati, & gregarii

(a) Ita CELSUS Med. Lib. 1. Cap. 1.

præsertim milites expositi haud sunt. Regionum,
quas peragrare coguntur, diversitas, statūs militaris
conditio, & persæpe necessitas illos sat præcavet.
Nunc fame, nunc siti, nunc pane solo, nunc fer-
culis aliis diversissimisque, nunc coctis, nunc crudis
illos ali notum est.

MUMI. III. Q

ALTERUM & potissimum ex vietu detrimentum
humano corpori imminet, si cibis aut plane vene-
natis, aut crudioribus, semique putridis uti cogatur;
quod item de potu eadem ratione afferendum est.
Quâ autem sollicitudine, quâ Præpositorum milita-
rium gloriâ, hæc à milite hodierno detimenta arcean-
tur, quæ salutaria potius & ad conservandam sani-
tatem aptissima consilia adhiberi soleant, mox Sectione
sequente, ut repetitiones & conjunctum cum ius-
tædium evitem, expositurus sum.



.II. 2.

D

SECTIO III.

*De consiliis contra detrimenta indicata im-
pendendis.*

CAPUT PRIMUM.

De Aere.

§. I.

EX quibus causis morbi plerumque oriuntur, quæque sit nunc remota, nunc proxima eorum causa, indicare, Medici officium est, & certum sanitatis aut conservandæ aut restaurandæ medium. Hinc non inconsultum duxi, quâ ratione enuntiata detrimenta militibus impendentia averti è castris & eliminari ex stationibus possint, indicare. Præter dicta Sectione præcedente de observandis circa arma vestitumque militum, sex potissimum puncta deprehendo, ex quorum neglectu morbi inter milites græf-sari solent, quæ sigillatim evolvenda sunt, ut, quid circa unum quodque cavendum, & sic quâ ratione militum sanitati consulendum sit, appareat. Ordinamur ab aëte.

§. II.

AER, substantia illa naturalis, fluida, invisibilis,

pellucida, elastica sonora & gravis (*a*) ita vitæ sanitatisque necessarijus moderator atque conservator est, ut homo vix aliquibus momentis eo carere queat, quin moriatur. Verum pro diversis suis qualitatibus aëris corpus nostrum humoresque diversimode commovet, alterat. Sic serenus, purus, temperatus (*b*) solidorum fluidorumque motum, fibrarumque robur, atque tonum fartum tutumque conservat; aëris talis per respirationem, per alimenta, per poros intus susceptus corpus nostrum permeans pro raritate suâ humores nostros attenuat, pro suscepito caloris gradu appetitum excitat, digestionem promovet, auget, depurat; poros præterea nec plus æquo constringit, nec plus æquo relaxat. Si calidus nimis est, corpus debilitat, pulmones ita afficit, ut tam solidum in iis quam fluidum corrumpat, atque in putredinem abire faciat; ut primum vero calorem corporis nostri superat, hominem manifesto vitæ periculo exponit; quin partium solidarum languor, fluidarum autem corruptio atque putredo non raro subitanea sequitur. Frigidus nimium fibras contrahit, rigidiiores reddit, fluida condensat, quæ proinde minus meabilia reddita in vasculis minimis, præprimis pulmonum, stagnant, irritationem contractionemquæ ibidem excitant, & ansam infinitæ morborum familiæ præbent: inde

(*a*) MUSCHENBROEK, *Instit. Physic.* p. 565.

(*b*) HOFFMANN, *Syst. med. rat.* T. 1. p. 333.

impedita humorum circulatio , obstrukciones , omnis generis inflammations & scorbutus maximis atrocissimisque symptomatibus stipatus oriuntur , imo saepe saepius observatum fuit , dum aer calidus per exspirationem ex pulmonibus eliminatus fuit , ejus vero loco novus admodum frigidus subito per inspirationem introivit , subitanam mortem quantocuyus subsecutam fuisse ; taceo volens frigoris excedentis ulteriores in milites effectus , membra congelata , mortes subitanas , de quibus historiarum fasti repleti sunt .

§ III.

EODEM modo sanitati quammaxime noxiæ sunt stagnorum , paludum , ac cadaverum humido - calidæ , putridæ ac contagiosæ exhalationes : efluvia ejusmodi in aërem emissæ & in corpus absorpta , quot & quos lethales effectus protulerint , tristia exempla demonstrant . Profundorum antrorum expirans pestilens aura , cellarum musto fermentescente mephitis , carbonum gas & plurima alia quoties subita morte abripuerunt mortales ? Mephiti etenim & ejusmodi exhalationibus destruitur aëris elasticitas , æquilibrium inter aërem internum corporis et externum atmosphæræ perit , pressio , gravitas , quibus solis debetur thoracis pulmonumque inflatio , sanguinis condensatio , liberque circulus & conveniens proportionataque humorum secretio impeditur .

§ I V.

AERIS universum terræ orbem ambientis seu atmosphæræ mutationes diversissimæ sunt. Ob motum enim terræ continuum , ob exhalationes corporum terrestrium diversissimas , ob ventos voriantes , ob æstatis , hyemis tempestatum & ventorum vicissitudines summa profecto densitatis raritatisque in aëre discrepantia sese manifestat ; exinde iterum in corpus nostrum effectus varii , modo salubres modo pernitosi. Venti enim adminiculo miasmata diversissimorum morborum , variolorum , morbillorum ; pestis ipsius , &c. de una regione in alias longinquas transferri poterunt , ex quo consequens est , eo esse salubriorem aërem & humano corpori beneficium magis , quo serenior , quo purior erit. Hinc observatum fuit , autumnale vernaleque tempus solubritate reliquas anni partes superare : autumno etenim exhalationibus putridis , vere autem vaporebus crassioribus depuratus aër salubrius vitæ pabulum subministrat ; quare id tempus solum , nisi necessitas urgeat , militibus ad peragrandas provincias quam maxime convenire quilibet perspiciet ; quod etiam hucusque à Gallis summa sollicitudine observatum novimus , qui circa æquinoctia tantum urbium munitorum præsidia mutant , militum itinera insti- tuunt , & , quodsi necessitas jussit aliud , studuere nihilominus legionum præfeci , ut æstatis tempore matutinis , hyeme vero diurnis horis milites peregrinarentur.

§. V.

Ex eadē ratione prudenti consilio haētēnus observatum est, ut in hybernīs eligendīs, quantum id quidem fieri potuerat, semper ædificia aëri liberō exposita militi assignarentur, & sic quidem, ut in inferiori eorum parte robustiores, in superiori vero minus robusti & debilioris sanitatis milites habarent; ut cubiliū præfecti numquam permitterent, sed semper dictatā transgressoribus poenā prohiberent, ne foculis aut accensis carbonib⁹ milites in tentoriis cubiculisque suis uterentur. Hāc certe ratione innumerōs militum morbos Galli prudentissime prævertunt.

§. VI.

EADEM quoque sanitatis habitā ratione, exercituum duces, iique, qui castrorum metationibus præsunt, PYRRHI, qui castra metari primus docuit, & quo nullus elegantiū loca cœpit, præsidiaquē dispositū (a), veterumque Romanorū præcepta in usum deducunt, scilicet: ut quantum fieri posse, loca sicca, elata elegant, ubi lignorum & pabuli & aquæ suppetat copia; ut caveant, ne exercitus aëris injuriæ exponatur, aut à vicino torrente campus inundetur (b); ut quamprimum ventorum perniciosorum afflatu aciei morbosa miaſ-

(a) LIV. L. 35. C. 14.

(b) KEISEWETT. L. C. 126.

mata imminent, quantocius castrorum situm mutent,
 & ad loca opposita salubrioraqua campum com-
 moveant; hoc enim primum, unicum, tutissimum
 que contra infectionem remedium est, hâc cautelâ,
 ALEXANDER M. morbos castrenses prævenit &
 arcuit (a).

§. VII.

QUANTUM hîc iterum Gallorum pro milite sol-
 licitudo elogis extollenda, dum primi aliquot ab
 hinc annis cæperunt castellorum fossas, paludosa
 barathea desiccare! quantum eo auxerint aëris salu-
 britatem, pabuli copiam, militum incolarumque
 sanitatem, nostris ipsimet oculis conspicimus. Si
 cunctorum oppidorum præpositi eandem pro urb-
 ibus humidiore loco sitis limosa stagna desiccandi,
 aëremque depurandi curam haberent; profecto brevi
 tempore fere omnes morbi endemii & maxima ex
 parte epidemici è regnis eliminarentur.

§. VIII.

NEQUE silentio prætereundum est HALESI angli
 præclarum inventum, xenodochia nempe ventilato-
 ribus munienda esse. Si quæ loca his indigent,
 sunt illa præprimis nosocomia militaria, in quibus
 semper præ reliquis major ægrotorum numerus,
 major exhalationum putridarum copia est; nihil

(a) QUINT. CURT. L. 5. Cap. 1. Sect. 4.

autem præ ventilatoribus ad aëris salubritatem, ægrotorumque levamen plus consert: his etenim aër continuo renovatur, à noxiis particulis purgatur, serenior, temperatior magisque elasticus adeoque humano corpori salubrior redditur.

C A P U T I I.

De victu.

§. I.

ALIMENTA ea, quæ corpori nostro sensim deperdita sunt, restaurant; pro variâ autem nutrimenti naturâ differt hæc amissorum reparatio; quo itaque alimenta possident naturam nostris partibus constitutivis magis analogam, eo profecto machina nostra physica convenientius atque constans restituî, nutriti ac conservari poterit. En ratio finisque nutrimenti! Dum ejusmodi cibos assumimus, qui similem cum sanguine & humoribus nostris naturam habent, melius tutiusque nutrimur (*a*). Quænam autem, neglectâ hac sanitatis regulâ, militi potissimum ex victu detrimenta immineant, Cap. II, Sect. II expositum est; nunc quid consilii circa hoc punctum à Medico dandum sit, videamus.

§. I I.

TRIPLEX naturæ regnum, *vegetabile* nimirum

(*a*) Ita HOFFMANN. *Syst. rat.* T. I. p. 344.

animale atque minerale nutrimenta humano corpori suppeditat. *Vegetabile* nobis subministrat legumina, olera, radices, fructusque varios, &c. de quibus certum est, fructus illos, qui plus mucilaginis in se continent, etiam in quantitate majore refocillatrices particulas possidere, adeoque alimento humani corporis magis proprios esse. Inter hæc utique palmam pro militis nutrimente præripiunt tuberosæ radices *Pyrorum* aut *Pomorum terræ* nomine notæ & ex granis cerealibus confectus panis varius. Panis castrensis ex duabus partibus tritici & parte una frumente aut hordei confectus, dum bene fermentatus atque coctus est, vere alimentum medicamentosum est, utpote qui propter fursures semper acidi quid continet. Sic etiam panis navalis atque his coctus, qui facile diuque incorruptus conservari potest, militibus saluberrimus est; sic vegetabilia plurima ob acidum quod continent, putredini, cui militum humores ob varias causas perquam obnoxii sunt, resistunt; sic alia ob amaritatem roborant, bilisque inertiam corrigunt, alia ob dulcedinem, quæ pollent, demulcent, relaxant, & fere omnia ob vim saponaceam, oleosas mucilaginosasque particulas nostris humoribus perquam analogas optimi nutrimenti sunt.

§. I I I.

ANIMALE regnum carnes varias subministrat, quæ cum gelatinam, gluten, oleum pinguedinemque

E

contineant, & majorem adhuc cum humoribus nostris similitudinem habeant, copiosius meliusque nutriunt. Inter varias autem carnis species bubula praeprimis & ovina caro recens beneque cocta militibus convenit. *Minerale* seu fossile regnum aquas varias & salia diversa offert. Aqua plurimas atque praestantissimas proprietates possidet; sed eò potissimum respiciendum est, ut sit limpida, pellucida, insipida, ne ex eo detrimenti aliquid sanitas patiatur, quod ad illam plurimum potuisset conducere. Aqua non tantum omnibus animalibus potui inservit, omnes cibos dissolvit, & omnium saporum causa est, sed & omnium alimentorum vehiculum fistit, sanguinem humoresque omnes per vasa meabiles reddit (a); species autem aquæ sunt vel pluvialis, vel fontana, vel fluviatilis, vel putealis, vel paludosa, vel marina. Fontana & continuo motu agitata optima, fluviatilis putealisque vix minor; species reliquæ aut coctione, filtratione aut aceto corrigenuæ sunt, ne perniciosæ sint. Optima tamen aquæ species, si nimia quantitate deglutitur, ventriculum debilitat, digestionem impedit, chylum crudum minus elaboratum efficit, adeoque diarrhœis, dysenteriis aliisque morbis ex digestionis vitiis & viscerum debilitate oriundis ansam præbet. Sal tandem medius cibarius, qui condiendi corrigendique scopo alimentis adjicitur, pro varia acidi ratione, sapore virtuteque differt.

(a) MUSCHENBROEK. *Instit. physic.* §. 890.

Vere bonus sit candidus, omnis peregrini saporis expers, nec facilis aere humescat (*a*). Hic sane, irritando fricandoque fibras, digestionem adjuvat, viscidum ciborum humorumque digestioni inservientium corrigit, resolvit; vilius vero aut nimia quantitate assumptus acrimoniam humoribus conciliat, & ita morbos diversos causat; salis autem penuria carniphagis ægitudinum ex alcalino spontaneo oriundarum incunabula aperit & fovet.

§. I V.

QUAMVIS autem Romani aliæque gentes (*Sed. I. Cap. III. §. III.*) robustiores fuerint, eò quod vegetabili nutrimento vescerentur, carnium tamen moderatus usus, pane præprimis, leguminibus, aliisque vegetabilibus simul adhibitis, optimæ nutritioni conveniens censetur, eò quod hujusmodi cibi tales partes constitutivas contineant, quæ partibus nostris inquilinis quam maxime analogæ sunt; sic nutritus miles Romano militi nec robore nec sanitate inferior erit, dummodo caro sanæ sit, nec corrupta: hujus enim usus moderatus proficius erit; carnis autem semiputridæ nec satis coctæ usus, aut usus carnis, ut sanæ, nimius plurimorum morborum causa est.

§. V.

SED quæret quis inexpertus, num possibile sit,

(*a*) Illustr. SPIELM. Inst. Mat. med. p. 551.

ut miles modico ære & pane grossiore stipendiatus moderatae diætæ limites excedere queat? Neminem latet, non infrequens quondam fuisse, eo, quo stipendia solvebantur die, æs omne, quod mensi integro sufficere potuisset, paucularum horarum spatio à militibus gulæ Bacchoque immolatum, & talia postmodum bacchanalia triste in pane & aqua jejunium ob æris penuriam usque ad diem novi solvendi stipendiij subsecutum fuisse. Verum ingenti huic abusui medelam attulere immortali utique suâ gloriâ rei nostræ militari cum potestate præpositi. Jam miliu nostro se suo genio alere non permittitur: in concubilari societate (gall. *chambrière*) vivere coactus ex æris stipendio partem determinatam prandio destinatam pro suâ ratâ communitati relinquere cogitur, quo facto nonnisi de paucissimo superfluo disponere potest. Ut ut autem hæc præclara sint, potûs tamen gulæque abusus nondum omnino evanuit: ebrietatis vitium, licet habitâ ad præterita tempora ratione rarius sit, proscribi tamen nondum omnino potuit, quo turpi vitio milites hodierni diros sibi morbos, Aphoniam, Tetanum, soporosos effectus, epilepsiam, apoplexiā, tremorem, paralysin, inflammations varias, marasfum, & hydrope ingenti suo malo accersunt.

§. VI.

ATTAMEN ingenuæ omnium gentium consensu & nostro quodam singulari gaudio fatemur, ebrietatis

vitium in milite gallico rarius inveniri. Encomii
loco potius dicendum est, milites gallos, utpote
quos gloria & honore quammaxime duci notum
est, tantæ sobrietatis esse, ut, dum de victoria
reportanda agitur, aut palma merenda est, sibi
potius aut fame perirent, quam sibi vel minimum
potus excessum permetterent. Expertus id est summus
exercitus gallici dux, dum in obsidione quâdam in
posterum diem indicasset assultum, omnesque ebrios
ab eo excludendos fore publicasset, eo die, quod
profecto mirum, in toto exercitu ne unicum
quidem ebrium militem repertum fuisse, observa-
tum est.

§. VII.

AD hunc sobrietatis amorem in milite gallico con-
servandum, ejusque simul sanitatem in tuto collocan-
dam factum est haec tenus, sitque hodie, ut rei mili-
taris præfetti omni curâ invigilent, ne miles penuria
aliquid detrimenti patiatur; ut panis ei statutâ quan-
titate concedatur, ne farina vel minime adulterata
pani conficiendo inserviat; ut bene fermentatus be-
neque coctus ministretur panis. Nôrunt enim à pane
minus fermentato, minusque cocto stomachum gra-
vari, succos gastricos perturbari, digestionemque
impediri; à læsa autem digestione quot mala orian-
tur, neminem latet: non tantum chylus crudus,
& ab hoc sanguificatio iners oritur, cum sanguis
ab impuro chylo acrior & ad circulandum ineptior

fiat; sed à viscositate panis minus fermentati fatus, ructus, vascorum tenuiorum obstructiones, intestinorum inertia, abdominis tumores & durities, vomitus, diarrhææ, dissenteriæ & febrium numerosa familia ortum ducunt.

§. VIII.

Eadem quoque prudentiâ milites ab esu quorumlibet fungorum arcentur: fere omnes enim venenati sunt; sic itidem à cerevisia minus fermentata prohibentur, inebriat etenim faciliter, acidamque faburram in primis viis relinquit, dysurias, ischuriás, plurimaque alia mala induit. Ab Hydromele vel pyraceo nimis acido partim priores morbi, à nimis dulci autem biliares putridæque ægritudines originem trahunt. A potu nimis spirituoso milites prudenter arcentur, eò quod spirituosi, ope ignis & fermentatione præpatati liquores humores coagulent, militibus præprimis junioribus perquām perniciosi, utpote qui præter alios morbos hecicam & phthisin facillime causant. Illud singularem laudem mereatur, quod in exercitu gallico usitatum est, aliisque nationibus exemplo esse potest: militibus nimirum, dum ardori solis aut expositi sunt diutiùs, aut in longis acceleratisque itineribus calore nimio aestuant, cui plerumque viarum stratarumque perniciousus pulmonibus pulvis accedit, acetum aquâ diluendum distribuitur. Hoc nec in ameno potu aquæ cruditas

corrigitur, putrefactio impeditur, & sic plurimi contagiosi morbi è castris & stationibus excluduntur.

C A P U T I I I .

De somno & vigilia.

§. I.

SOMNUS atque vigilia alternis vicibus cuilibet homini tam necessaria sunt, ut sanitas absque illorum moderato convenienteque usū diu persisterne nequeat. Omnis itaque in his abusus necessario in sanitatis detrimentum vergit. Caveat itaque miles, ne somno plus æquo indulget: somnus etenim nimius non tantum leviores, subtile, & volatiles corporis nostri humores partim dissipat atque consumit, partim successive densiores reddit atque constitut, cerebrum aggravat, caput replet, sensus motusque hebetat, ex quo necessario membra torpescunt & vigor omnis perit. Reête admissus multa bona efficit, cibos humoresque concoquit, excoquit, dolores mitigat, lassitudinem lenit, animum demulcit & mentis vehementiores agitations corrigit; post cibum optimus concoctionem promovet, interruptus autem interrumpit. Vigiliis econtrario diu nimiumque protractis, fibræ corporis exsiccantur, nutrimentum illis subtrahitur, spiritus consumuntur nulla arte nisi somno reparandi. Vigilia nimia auget in humoribus acre, coctionem nutritionemque impedit,

bilem exasperat, totique corpori maciem inducit; ex hinc viribus consumptis tristitia, inquietudines, febres, deliria & hujus generis quam plurima.

§. II.

VERUM cum ex militis somno nimio ingentia mala non militi soli, sed toti exercitui immineant, veluti si miles improvidus in excubiis nocturnis somno abriperetur, assuecat statim ab initio milis tyro, somno minus succumbere. Consuetudo est altera natura. Miles quem vitae ratio vigiliis, excubiis expavit, summam animi contentione eo nisi debet, ut quovis tempore vigil & expperctus sit. Veteranus hinc assuetusque miles a vigiliis nimis minus detrimenti persentiscet. Sic HANNIBALIS exercitus verius clusum proficisciens, sic LUDOVICI XIII acies quatuor dies nec non tres noctes absque somno transagit (a). Verum ejusmodi exempla rariora sunt.

§. III.

CUM vero miles nocturno somno saepe saepius privetur, atque qua datâ occasione somno indulgere soleat, illi summa cura evitandum est, ne verno aut autumnali tempore sub dio, in locis humidioribus, atque facie ad terram versa dormiat, fessosque artus exstiali somno exponat. Terrae etenim exhalationes frigido-humidæ insensibilem transpirationem

(a) FOLLARD. I. c. L. 3. C. 15.

supprimunt, torporem, tuffes, rheumatismos, arthritiden, paralyzin diversasque febres tam acutas inflammatorias, quam lentas hecicas commovent & accendunt: fin vero munere suo functus in obsidione, in excubiis, in copiarum progressionе brumæ, nivi, grandinibus, pluviis, aliisque ejusmodi vaporibus expositus fuerit, quamprimum domum reversus indumenta, quantum poterit, mutet, siccisque indutus quodam exercitio paulisper corpus commoveat; sic fese fartum tutumque conservabit.

§. I V.

IN tuguriis militaribus præterea summopere invigilent ordinum structores electique cubicularii, ne de nocte apertæ fenestræ pateant, ne Euro, Boreæ aërise frigido, pluviosoque ingressus pateat. Nam in cubili, ubi plures degunt, quodque transpiratione omnium vividè calefactum, flante Boreâ, subito refrigeratur, dormientium pori repente constringuntur, ex quâ subitanæ aëris mutatione pororumque constrictione tuffes, peripneumoniæ, pleuritides, & plurima alia detrimenta innumera oriuntur. Nec minori sollicitudine studeant cubiculorum præfecti, ut peracto militum somno cubilia libero aëri patescant: tempore etiam frigidissimo intret hinc inde aura libera; hac curâ aër renovatur, omnibus exhalationibus tepidis semi-putridisque vaporibus purgatur, atque restauratur. Si præterea cubilium munditiem

F

constantis sollicitudine procurent, ea omnia procurasse dicendi sunt, quæ in tuguriis militaribus belligerantium sanitati plurimum conducunt.

C A P U T I V.

De motu & quiete.

§. I.

DE motu atque quiete eadem fere dicenda sunt, quæ de somno, quæ de vigiliis haec tenus exposui. Moderatus motus corporis vires confirmat, auget, sanguinis circulationem promovet, excretiones secretionesque sublevat, spissa resolvit, digestionem facilitat, transpirationem insensibilem adjuvat, spiritus animales vividiores reddit, sensus acuit, uno verbo: militem robustiorem, agiliorem, sanioremque efficit. Motus excessivi effectus iidem sunt, ac vigiliarum diutius protractarum, cura procataractica eadem; otium vero nimium motu excessivo deterius malum, sensus hebetat, vires torpescunt & miles iners, inutile terræ pondus efficitur.

§. II.

CUM itaque otii excessus multò majora damna afferat, quam nimius corporis motus, consultum foret, ut miles more Romanorum ab incunabulis quasi in continuo corporis, sed moderato, motu conservaretur. Sic exercitationi atque labori affueret. A tenera ætate dura præferat, qui militiae desti-

natur; sic miles tyro à leviore onere ad graviora pondera ascendens roboris habitum acquireret, sic veterano æqualis quolibet casu dato molestias, fatigations, exercitia, labores & copiarum acceleratas progressiones facile & absque sanitatis detimento sustinebit. Viros tales labori assuetos numerat in suis copiis Gallia. Merentur adhuc hodie milites nostri laudem illam, quâ Galli veteres à JULIO CÆSARE (*a*) ornati erant: nullam in sustinendis laboribus & exstruendis præsertim cuniculis, subterraneisque laboribus gentem Gallos superare.

§. I V.

ET quid mirum? quò aliis generosior hæc inclyta gens, eò etiam majori amore exercituum præfides suos milites, ut proprios filios, prosequi, fovere, eaque prudentiâ curare solent, ut labore necessario perfunctos, fatigatosque illico quiete & vino generoso refocillent. Simili curâ fovendus est miles tyro, qui laboris insuetus vel primâ peregrinatione plerumque corruit. Ab omni enim tempore observatum fuit, primâ tantum expeditione, seu primo copiarum progressu ægrotis nosocomia adimpleri: militum siquidem suppetiæ sive recenter adscripti militum tyrones fatigationum reique militaris rudes vel minimo labore, fame sitique torqueri solent, inde etiam quâ datâ occasione aquam qualémicunque

(*a*) L. 3. de bell. Gall. C. 21.

obviam absque discrimine atque discretione summā copiā hauriunt, bibunt; ex quo evenit, ut, quō plus sint potae, plus sitiantur aquae. Et inde est, ut sudore nimio languescant, ventriculus primaeque digestionis viæ debilitentur, & improvidi ejusmodi milites diarrhaeas, dissenterias aliosque morbos, quos capite hujus Sectionis II. memoravi, sibi imprudenter attrahant. Veterani interim minus gulæ blandientes solent haustulo aquae viræ aurelianensis sitim compescere; sic sobrii, alacres atque per integrum expeditionem sani vitam degunt.

§. I V.

IN progreSSIONE copiarum non tantum omni aëris intemperiei exponuntur milites, verum præprimis infestissimo stratarum, viarumque pulvere torquentur, qui oculis inflammationem, ori anginam, pulmonibus phthysin, auribus tinnitus, surditatem vel robustissimis militibus facilime excitat; hinc faciem totumque caput telâ crispâ reticulari tegere non inconsultum foret. Præterea, dum mihi de motu sermo est, unicum adhuc admonuisse sufficiet, militem scilicet semper quodam labore atque exercitio occupandum, ne in hibernis quidem atque præsidiis ei parcendum esse. Nam pigritiâ, omnium vitiorum matre, miles torpescit: quod si enim per longius temporis spatium quietus miles fuerit, ab otio autem & inertia subito ad laborem adigitur, an mirum,

eum quamplurimis morbis obnoxium fore , cum omnis subitanea mutatio perniciosa sit ?

C A P U T V.

De Secretione atque Excretione.

§. I.

CUM ope cordis, atque per solidorum , nec non circulatoriae volubilitatis humorum motum illa vitalis actio oriatur, qua heterogeneæ humorum particulae non tantum à se invicem segregentur, atque homogeneæ conjungantur , sed & secretæ quædam partes tanquam utiles ad proprios usus conservari, aliæ autem , ut inutiles & excrementitiae à corpore eliminari debeant ; satis constat, quantæ necessitatis sit , ut hæc se - & excretio æquabiliter & convenienti modo procedat, si vitam & sanitatem integrum custodire volueris.

§. II.

TOT autem secretiones excretionesque numerabis, quot diversæ indolis humores vasa corporis nostri permeant ; quoè igitur una alterave suppressa , aut plures simul interceptæ fuerint , eò diversissimæ orientur ægritudines. Quanti itaque interest , militi enunciatas vietūs , somni mortūsque cautelas regulasque observasse , ne suppressis se - & excretionibus fœse obnoxium reddat. Quamprimum etenim miles

aëris vicissitudinibus diutiūs incautiusque expositus est, attrahit sibi mala Sect. III. Cap. I. exposita, & primumque à suppressa transpiratione insensibili orta ; si ingestiones quantitate excretiones superent, æquilibriumque inter solida fluidaque ablatum fuerit, orientur ei aut indigestiones aut morbi ex plethora emanantes, aut mala Sectione III. Cap. II. enarrata; cum contra regulas somni atque vigiliæ peccaverit, morbis Sect. III. Cap. III. allegatis subiectus erit; præterea si minus munditiei studuerit, scabiei species diversæ, cutaneaque detrimenta expectanda erunt; caveant itaque præprimis legionum & cubilium præfetti, ut scabiosos à sanis segregent, alias ut pestis sævier scabiei contagiosus pruritus.

§. III.

A se- & excretionibus denique disturbatis atque suppressis ulterius fere omnes & innumeri morbi castrenses originem ducunt, quas prævenire difficultus & majoris laboris est, quām eos in noscomis rite tractare. Caveat itaque præprimis miles, si post motum violentum sudore madeat, ne subito aéri frigidiori sese exponat, ne suppressæ transpirationis & istissimos effectus experiatur. Cum autem equites, qui equitationis effectus est, alvi constipationibus hæmorrhoidibusque subiecti sint, prosperrimum eis erit consilium, in diuturnis peregrinationibus interdum iter pedibus confidere; alias præter prædicta damna ani fistulis dolorofisque operationibus sese exponunt.

C A P U T V I.

De animi Affectionibus.

§. I.

ANIMI pathemata , quæ frequentius militibus dominantur , eisque detrimenta plurima afferrunt , venus , terror & ira sunt . Tristitia illis rariSSIMA est , & tunc demum sentitur , si miles re ipsa aliquo morbo jamjam laborat aut nostalgia languescit . Huic subiecti sunt tyrones milites , monticolæ , qui fere nunquam penates dereliqueré : hos non raro videris inutilia ob derelictos lares patrios suspiria fundere , morboque , quem vocant , patrio laborare ; id cum observaveris , nisi ratione amicoque alloquio animare tales sublevareque possis , quantocius laribus paternis remittas procul dubio cæteroquin perituros . Ne tamen fictus ejusmodi morbus tibi illudat , caveas !

§. II.

TERROR improvisus vehemens & involuntarius ita prorsus omnes vires frangit , ut territus saepe nec manam nec pedem moveare possit ; extremitates corporis coarctatae frigescunt , contremiscunt , cor singulare palpitatione concutitur & præcordia anxia quasi suffocantur ; inde eadem fere damna ac ab aere nimis frigido oriuntur . Sed terror corrigitur

ira , quæ pariter , cum brevis quidam furor sit , militibus ob pulsū respirationisque citatiōrem commotionem mentisque perturbationem quam maxime noxia est . Iratus rixosusque miles non tantum diversis morbis acutis (accedit enim iracundia sanguinem) , sed præcipue privatis conſilitionibus , variis vulneribus & crebro morti expositus est . Hinc prudentissime sub gravissimis pœnis duella militibus interdicta fuerunt . Quæ enim phrenes is est in socios , in amicos & in propria viscera fævire !

§. III.

FREQUENTISSIMA autem sunt mala ex venere atque vesanā incontinentia oriri solita . Sanitatis detrimenta , enervati luxuriosi morbos & ægritudines infinitas quis enumeret ? Exulet igitur è cætu militum talis inutilis , inermis , semiputridus , sibi aliisque fastidiosus , veneris potius , quam martis miles ! Ex hac ratione sapientissimo plane consilio , &c , ut innumera detrimenta ex venere immodica in milites promanantia arcerentur , in Ordinatione regia hoc anno pro Nosocomiis militaribus data cautum fuit , ut miles bis vel ter morbo quodam venereo infectus privilegiis veterano concessis stipendioque remuneratorio frustaretur (a).

§. IV.

AD sanitatem militum conservandam forsitan non

(a) *Ordonnance du Roy pour les Hopit. mil. 1780. art. 21.*

modicum leſti plicatiles (gallis *lits pliants*) conferrent: hi etenim non tantum levioribus sumptibus in minus spatioſis promptuariis vel maxima quantitate conſervari, ſed facillime tempore belli ex xenodochio uno ambulante, quod vocant, in aliud tranferri poſſent. In his miles ſolus cubaret, in his tyro miles forſan turpi onanismo & fastidioſis ſociorum iuſtibus, aliisque morbis contactu hæreditariis expositus non foret; ſicque milites plurimi fani robusti conſervarentur.

§. V.

LAUDEM quoque ſummam merentur juſcula vege-
tabilia in nosocomiis gallicis recentiſſima Ordinatione
regia introducta (a). His profecto plurimum ægrotos
ſublevari, his fanari poſſe quis dubitat, quippe per
hæc febribus putridis caſtrenſibus opportuna medela
aſſertur.

Plura de consiliis circa militum sanitatem oppor-
tunis addere temporis & præscriptæ hiſce paginis
angustiæ prohibent. Sublimioribus illa ingeniis expli-
canda lubens relinquo eo uno contentus, quod
levidene aliquod ſcientiæ medicæ illiusque defiderii,
quo in dilectaे patriæ defenſores conſervandoſ feror,
ſpecimen ediderim.

(a) *Ordonnance du Roy 1780. l. c.*

S. D. G.

2.1.082 200 1200000000 (a)

3.9.2

Straßburg, Diss.

X 2615890


ULB Halle
007 469 950

3



UDK
VD 18

B.I.G.



N INAUGURALE
DE
L I T E
N S E R V A N D O,
QUOD
ATIOSÆ
ATIS MEDICÆ
ONSENSU
LICENTIA
DOCTORIS
CAPESSENDI
MBRIS A. R. S. MDCCCLXXX.
TORUM CENSURÆ SUBMITTIT
JOSEPHUS SILBERLING,
TERBURGENSIS.

H. L. Q. C.

F RANC. LEVRAULT, Episcop. Universit. Typogr.

